

O ReX Magne, Deo ReCtore bono astra faVebVnt.
THEMATIS ASTRONOMICI

per URANIAM & CALLIOPEN
 in PARNASSO facta Explicatio.

EN FRIDERICE potens, REX CLEMENTISSIME noster,
 Quiq; faves Phæbo, Pieridesq; fovet;
 En faciem cali, quâ SOL & Cornua LVNÆ,
 Et VAGAcum FIXIS sidera mille micant.
 Dum PATRIÆ PROCERVAm magna comitante Coronâ,
 Dum plaudente solo SLESIDOS atq; foro,
 Dum clangente tuba, bombis crepitantibus atq;
 Harmonica chorda dulce sonante melos,
 Dum blando modulante Choro, REX inclute, PORTAM
 BRESENSEM trahis faustus in Vrbe Tua.
 Scilicet emergunt animosi signa LEONIS,
 Et mox OCEANI REGVLVS exis Aquis.
 Non frustra. Nam qui presum super orbe LEONEM
 Eripuit nullis eripietq; malis:
 Huicce polus merito gratatur & undiq; gaudet,
 Grataturq; solum, plaudit & usq; salum
 Hinc nostras veniente venit LEO REGE sub auras,
 Assurgitq; polo REGE incunte LEO.
 Hinc Finitorem VIA LACTEAtangit utringq;
 Et MINOR ac MAIOR jam CANIS ortus erat.
 Contra FVSOR A QVÆ tristis, cum VULTVRE DELPHIN
 Et TELVM occiduas concidit inter aquas.
 Emicat in MEDIO COELO sine sidere TAVRVVS,
 Stellatusq; ARIES, atq; CAPELLA levis.
 SCORPIO sub terra medium tenet acer avasq;
 At stellis binis pendula LIBRA micat.
 En Ascendenti PHOEBVS dominatur amicum,
 Et medio cæli presidet alma VENVS.
 Septima MAIVS habet LVMEN sub PISCE gemello,
 Quod Venus exaltat, Iuppiter atq; regit:
 Quarta MINVS LVMEN tantum mediocriter recipit,
 Cujus Mars Dominus splendet tibi rutilus.
 IVPPITER in nona fortis, fortem quoq; MARTEM
 Ex propria recipit per bonus ipse Domo.
 Proximus undecima SATVRNVS, fortis & ipse
 Ancipitem in sexta MERCVRIVM recipit.
 In Iovis exaltata domo fortissima fulget,
 Marti & in octava juncta benigna VENVS.
 Parti Fortunæ dominatur utriq; Planeta
 Faustus, felici cum Iove amica Venus.
 Præterea Errantum directo quisq; movetur,
 Et celeri motu quilibet inde fere.
 Quod reliquum est, si quid reliquum est, REX DIVE, fauebit
 Vsq; Tibi cælum favit & usq; favet.
 Det DEVS, ut fiant, qua signant astra benigna,
 Det DEVS, ut REGI nulla timenda mala:
 Det DEVS, ut centum regnet feliciter annos,
 Atq; hostes videat clade perire sua:
 Det DEVS, ut REGIS FRIDERICI nomen in astris
 Splendeat, ac terris stes sine fine decus.

Das I. Haupt
 Aufgang.

Jacobstrass.

Das VII Haupt
 Untergang.

Mitten oben
 am Himmel.

Mitten unten
 am Himmel.

Die ☉.

Die ♃.

Der 4. und 5.

Der 6. und 7.

Die ♀.

Das Glück
 tadet.

Votum.

Astra regVnt homines, regit In DehaC IovabentignVs,
 Vir probVs ac saplens a stris Domlnar Vr In orbe.



IN HONOREM SERENISSIMI AC POTENTISSIMI DN.

DN. FRIDERICI I.
REGIS BOHEMIÆ, S. IMPE-
RII ROMANI ELECTORIS, COMITIS PALATI-
 ni ad Rhenum, Ducis utriusq; Bavariæ, Silesiæ, & Luxemburgi,
 Marchionis Moraviæ & Lusatia, Comititis Veldentia
 & Spanheimii, &c.

FRIDERICUS PRIMUS, ELECTOR PALATINUS
AD RHENUM, REX BOHEMIAE,
SEMPER AUGUSTUS.

per Anagrammatismum.

IN TE FIRMATUR LEX: PIAS URGE CAUSAS:
PREME CRUDELEM SUPERANDO
VIRIBUS HOSTEM.

Utpiter ut vidit Regnum, Gentemq; Bohemam
 Casibus expositam, sic dedit ore sonos:
 Tempus adest: Regni tantas relevare ruinas,
 Et fractas vires reddere; tempus adest.
 Rebus & afflictæ Gentis succurrere lapsis.
 Ecce: Palatinus, REX, FRIDERICUS erit.
 Acclamant omnes Proceres: mox Praga coronam
 Obrulit: exultans, talia vota dedit.
 Vivat FRIDRICUS: Vivat, multosq; per annos,
 REX, regat, & pugnet pro Grege, Lege, Fide.
IN TE FIRMATUR LEX nostra, Fidesq; virescit:
IN TE FIRMATUR Relligionis Honos.
IN TE FIRMATUR Pax aurea: Jura vigescunt:
 Florescit Pietas: Justitiæq; Decus.
 Perge: PIAS URGE CAUSAS: feliciter URGE,
 Quid? Preme CRUDELEM SUPERANDO VIRIBUS HOSTEM,
 Atq; tuum Regnum protege: Victor eris.
 Victor ero? quidni? Tibi nam PIA CAUSA triumphans:
 HOSTEM CRUDELEM reprime: victor eris.
 HOSTEM, qui Te, qui Regnum pervertere tentat;
 Auxiliante DEO, reprime, Victor eris.
 Vive, Vale: felix iter incipe: perfice felix;
 Cuncta Tibiq; fluant prospera: Vade, vale.
 His dictis, siluit. Sed SLESIA nostra quid offert?
 PYRAMIDEM posuit, VOTA DEOq; rulit.
 Aspice clementi, REX, mente, manuq; benignâ
 Suscipe Pyramidem: percipe VOTA: VALE.
 VIVE, VALE: Tua nos servet Clementia: nobis
 Adsit, & adspiret GRATIA: VIVE, VALE.

Humilimæ subjectionis ergo
 M. PETRUS GOTTHARDUS, P.L.C.
 Philomathem. Nobiliss. & Ampliss. Senatus
 VratisL. Ecclesiastes in Germano.
 dorff/fac.

VRATISLAVIÆ,
 Imprimebatur per GEORGIUM BAYMANN. A.C. 1620.

Serenissimo ac Potentissimo
Principi ac Domino

Dno.

FRIDERICO

Regi Boëmiæ, Comiti Palatino ad Rhenum.

& Electori, Duci Bavariz, Marchioni Moraviz,

Duci Silesiz & Lucemburgi, Marchioni Lusatiz &c.

Dn. nostro clementissimo.

I.

Ente Palatinâ sate florentissime Princeps,
Qui missum è cælis istud honoris habes:
Spes populi intemerata, viden' dignissime Regum
Certet ut in cultu Slesia fida tuo?
Ignis inest animis, & nutrimenta fideli
Obvia quæq; fami quilibet esse cupit.
Ipse ego thura darem, nisi dura inhiberet egestas,
Nunc vilem mitis, quâ lito, sume molam.

II.

*Tantumne aliquis sibi posse videtur
Fata quoq; ut superet?*
Filia prælustri Zechi, cui viscera firmant
Moravia, & vernans Slesia, cum Lufatis;
Heu capite & caro quondam viduata marito,
Cum quo concordēs vixerat antè dies,
Ludibrio passim à non castis cæpit haberi,
Et fædâ in prædam colluvione rari.
Cùm tandem vidui damnans in commoda lætæ
Consilium votis destinat omne novis.
Et se permittit superis fatoq; benigno,
Nubens præcipuè quo solet ordo regi.
Inde Palatini concepto Herois amore
Sæ desiderii lancinat assiduis:
Dum pariles experta facies animumq; lubentem
Præsentem stabilem dat recipitq; fidem.
Nobile par pollens animis! Par nobile amantum!
Dignus amor! digno Sponsa dicata viro!
Qui vos conjunxit, vestros fortunet amores.
Et faciet: faustum lux notat orta polo.

III.

FRIDERICUS PALATINUS
REX BOEMIE.
Per Anagramma.
SURREXI IN AMABILE
CAPUT FOEDERIS.

Ductu JOVA tuo, SURREXI IN AMABILE pacis
FOEDERIS augustâ conditione CAPUT.
JOVA faveto: mihi faustum hoc sit & utile Regno:
Hostica contritum lugeat hydra caput.

IV.

Dis genite, Ipse Deus similis, non omnibus unctis
Rex optate quidem, sed tamen unctè DEO.
Ingredere auspiciis Regnum felicibus, udis
Subdita gens oculis cum gemituq; rogat.
Orphana terra, misella diu, pessumdata bello,
Te sibi tutorem destinat atq; patrem.
Ingredere O FRIDERICE Pater Patriæ optime nostræ,
Rex pie, Rex florens & benedictè DEO.
Christianiq; gregis dux & nutricius esto,
Libera sub scuto floreat ara tuo.
Nec solum Eusebius, verum & Macrobius esto,
Solvantur cano non nisi iusta tibi.
Spiritus ipse DEI tibi mentem oculosq; serenet,
Teq; suo faciat semper amore frui.
Incluta Majestas sit formidabilis hosti,
Et pariat populo spem requiemq; tuo.
Justitia à nostris exul visa hæctenus oris,
Antiquam rursus sedem habitare velit.
Imperium vacuo tractus impingvet amœnè,
Fiat & à facie Regis opimus ager.
Aurea pax circa solium regale coruscet,
Infestum belli sub Styga nomen eat.
Tantum est quod voveo, det plura Jehova benignus,
Et desiderii annuat usq; Tuis!

*demisso adfectu
sincerum istud voti
mancipo*

JOANNES CONRADUS
J. U. D. Svidnicii.

LIGNICI Typis Sartorianis.